

nita missa, non dicebatur evangelium, nisi ex devotione, ut patet ex Durando, dicente, l. 4, cap. 24, n. 5: « Quidam volentes dicere, finita missa, evangelium » S. Joannis, vel aliud, imprimunt primo signum crucis » super altare et postea in fronte. » Multi sacerdotes illud secreto recitabant, se in cornu dextro altaris exuendo, vel ad sacristiam redeundo. Fideles illud ex devotione audire volentes, petierunt ut super se, vel saltem alta voce recitaretur, sicut in fine Baptismi recitari consueverat: semper enim evangelium istud venerati sunt, et in gravibus circumstantiis illud recitabant, vel a sacerdote super se recitari petebant. Non mirum ergo si quidam sacerdotes devotionem habuerint illud statim post missam dicendi, si hæc devotio ad alios et ad ipsos fideles transierit, et si tandem facta fuerit communis. Pius V, post medium decimi sexti sæculi, ordinavit ut in fine missæ a sacerdotibus diceretur evangelium S. Joannis, quod antea non ex mandato dicebatur.

Non obstante hac S. Pontificis præscriptione, Cluniacenses, Cistercienses et Carthusiani ultimum in fine missæ non dicunt evangelium; Lugduni, Remis, Metis, in cathedrali Cenomanensi et in pluribus aliis ecclesiis, evangelium S. Joannis dicitur redeundo ab altari ad sacristiam; et si aliud dicendum sit, nempe diebus dominicis, feriis majoribus et vigiliis, ubi sit de aliquo sancto, dicitur in sacristia, juxta consuetudinem ante Constitutionem S. Pii V existentem.

Cæremoniale episc., l. 2, cap. 8, sub fine, statuit ut episcopus, in fine missæ, data benedictione, dicat *Dominus vobiscum, Initium sancti Evangelii*, etc., et prosequatur cundo ad locum ubi a principio accepit paramenta.

Cum evangelium S. Joannis recitaretur memoriter, mos fuit et perseveravit signandi altare, loco libri evangeliorum, vel tabellam in qua scriptum est: ideo igitur osculum primorum ejus verborum omittitur in fine.

## ARTICULUS QUARTUS.

## DE VARIIS MISSARUM SPECIEBUS.

Breves exponemus notiones de missis: 1° majoribus et minoribus; 2° publicis et privatis; 3° præsanctificationum; 4° siccis; 5° de tempore; 6° de sanctis; 7° votivis; 8° defunctorum; 9° de sponsalibus; 10° coram SS. Sacramento.

## § I. — Missæ majores et minores.

1° Missa *major* in genere (*messe haute*) ea est quæ cum cantu celebratur. Si celebretur, ministris et clero assistentibus ac functiones ordinum suorum exercentibus, vel, his deficientibus, saltem cum quodam apparatu ornamentorum et cæremoniarum in rubricis descriptarum, quales sunt incensationes, dicitur solemniter; secus, dicitur simpliciter *major* seu *cantata*. Missa *minor* (*messe basse*) ea est quæ celebratur sine cantu et absque cæremoniarum apparatu. Si quandoque nonnullæ solennes fiant cæremoniæ in missa non cantata, v. g., incensationes, id ex speciali sit consuetudine, ut in quibusdam monasteriis, et non ideo missa est major proprie dicta.

2° Ad missam *majorem* ordinarie revocatur missa parochialis, quæ cantatur, ad quam fideles convocantur, in qua publice fiunt preces, indicantur festa et jejunia, publicantur matrimonia, docetur populus. Quandoque est sollemnis; sæpe est simpliciter cantata, quia desunt circumstantiæ ad solemnitatem requisitæ.

Diximus, *ordinarie*; quia hæc missa in quibusdam locis celebratur sine cantu, et tunc ad missam minorem pertinet.

Idem dicendum de missis conventualibus et capitularibus.

## § II. — De missa publica et privata.

1° Missa publica ea est ad quam concursus populi admittitur: per oppositionem, missa *privata* ea dicitur ad quam talis non admittitur concursus. Unde, missa publica cum missa solenni confundi non potest, nec eum



missa simpliciter majori; fieri enim potest ut sine solemnitate et sine cantu dicatur missa cui admittatur populus, et, e contra, celebretur missa sollemnis vel cantata, cui non admittatur populus.

Missa parochialis ex natura sua est publica.

2° Missa principaliter instituta est ut esset sollemnis et publica, clero scilicet cum populo assistente, offerente et communicante. Id fere omnes missæ partes adstruunt: *Dominus vobiscum; Oremus; Sursum corda; Habemus ad Dominum*, etc.

3° Primitus non erant sacerdotes in monasteriis: monachi diebus dominicis et festivis in vicina ecclesia missæ assistebant. Quando proprias cœperunt habere ecclesias, Pontifices maximi ac concilia prohibuerunt ne publicas celebrarent missas, ob periculum retrahendi populum a cœtibus quibus præerant pastores. Nihilominus licebat celebrare missas sollemnes, et cum ministris et cæremoniæ apparatus, in monasteriorum etiam arctissimæ observationis ecclesiis.

4° Missa dici potest et quandoque, licet minus recte, dicitur privata ex multiplici ratione: 1° ratione loci in quo celebratur; 2° ratione diei, quia non est festum; 3° ratione personæ privatae cui applicatur; 4° ratione altaris privati, et non majoris; 5° ratione communicantium, si nempe solus celebrans communicet.

Adversus missas privatas ultimo sensu intellectas debacchatus est Lutherus, in Tractatu de abroganda missa privata, asserens se a diabolo didicisse hujusmodi missam veram esse idololatriam. Eidem sententiæ, de abroganda missa privata, subscripserunt Calvinus, Iustit. l. 4, cap. 18, Chemnitius, in Examine concilii Trident. et generaliter Protestantes, qui ipsummet missæ sacrificium sustulerunt.

Contra hos hæreticos concil. Trid., sess. 22, can. 8; sic statuit: « Si quis dixerit missas in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse ideoque abrogandas; anathema sit. » Licet enim semper optaverit Ecclesia ut in singulis missis fideles adstantes, non

solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicent, id nunquam præcepit. Card. Bona multis testimoniis et argumentis demonstrat, l. 1, cap. 14, laudabilem missæ privatae consuetudinem Patribus fuisse cognitam et in Ecclesia semper viguisse.

In præcedenti capite, n. 4, loquitur de missa solitaria quæ olim a solo sacerdote, nemine præsentate et respondente, fiebat in monasteriis, et ostendit eam a pluribus conciliis et pontificibus fuisse prohibitam, quia non verificarentur verba *Dominus vobiscum, Sursum corda*, etc., si nullus esset qui responderet. Asserit tamen a Romano pontifice quibusdam monachis vel eremitis perpetuo inclusis aliquando indultum fuisse ut soli, sine respondente, sacrificium offerre possint. Seclusa speciali hac concessione, hujusmodi missa graviter esset illicita, nisi necessitas excusaret. Gavantus et Merati æstimant sufficientem existere causam sine ministro celebrandi, si viaticum moribundo sit dandum; si die festo populus pestis timeatur contagio. Præterea, etiam extra casum necessitatis, si haberi non possit minister qui respondeat, sed tantum qui serviat, aut si, missa incœpta, minister abeat, sacerdos ipse poterit respondere.

Missa vero privata, cui solus adest minister, nihil habet redarguendum; minister enim respondet nomine totius Ecclesiæ quam celebrans salutatur et alloquitur.

5° Expresse prohibetur in Decretal., l. 3, tit. 2, cap. 1, et in rubricis Missalis, de defect. tit. 10, n. 1, ne femina ministret ad missam: potius sine ullo ministro celebrandum foret. Mulier longe ab altari posita, vel monialis in choro respondere posset sacerdoti, viro circa altare ministrante: id nullo jure prohibitum esse docet Card. de Lugo quoad monialem. Vide S. Ligorium, l. 6, n. 391 et 392.

Celebrare sine ministro, extra necessitatem, peccatum esset mortale: ita omnes, inquit S. Ligorius. Minor autem sufficit necessitas ad celebrandum cum ministro nesciente respondere, quam sine ministro.



Si celebrans advertat ministrum male pronuntiare, eumque facile corrigere non possit, non se, neque circumstantes turbet, neque ordinem missæ invertat, sed omissa a ministro suppleat, si commode potest.

6° Ex decreto sacræ Congr. Rit. diei 7 augusti 1627, non competit vicariis generalibus celebrantibus duos ministros, aut duos capellanos cum cottis, honoris causa, habere: id solis reservatur episcopis in missa privata.

Missæ vero conventualis, licet non cantata, non censetur privata: ideo adhiberi possunt in ea duo ministri et candelæ plures, ratione solemnitatis, præsertim in festis majoribus. (*Ord. rom. anni 1849-1850, p. XXI.*)

7° « In missis privatis, quoad indumenta, cæremonias, ministros, altaris ornatum et benedictionis largitionem, a simplici sacerdote non discrepant (abbates usum pontificalium habentes). Deinde sacras vestes induant in sacristia, neque utantur cruce pectorali, unico sint contenti ministro, aquam cum pelvi et urceolo argenteis sibi ministrari non sinant, duas tantum candelas super altari adhibeant. » (*Decret. S. Cong. Rit. ab Alexandro VII diei 17 sept. 1659, art. 21.*)

#### § III. — Missa præsanctificationum

Improprie dicitur missa, cum in illa non consecratur; in eo enim consistit ut particula, prius consecrata, inter aliquem precum, rituum ac cæremoniarum ordinem, liturgiæ missæ fere similem, a sacerdote sumatur; ideo hoc liturgiæ genus vocatum est missa præsanctificationum. Antiquissimi est usus apud Græcos, qui tenent consecrationem corporis et sanguinis Christi cum tristitia jejunii quadragesimalis non recte conciliari. Unde concilium Laodicenum anni 314 sancivit, can. 49, *non oportere in Quadragesima panem offerre, nisi sabbato et dominicis tantum*. Concilium in Trullo formaliter dicit, can. 52, in omnibus Quadragesimæ diebus, exceptis sabbatis, dominicis et die Annuntiationis, *sacrum præsanctificationum ministerium fieri*. Quæ disciplina usque in

hodiernum diem apud Græcos viguit. Die dominica, præter formulam in ea missa a celebrante consumendam, quinque aliæ consecrantur, pro quinque sequentibus diebus, et unaquaque die præsanctificationum ministerium officio vespertino conjungitur.

Excipitur etiam, ab immemoriali tempore, feria V in Cæna Domini.

Apud Latinos missa præsanctificationum sola feria sexta in Parasceve celebratur, et ab Ecclesia Orientali fuit importata versus octavum sæculum.

#### § IV. — Missa sicca.

Sic vocabatur quædam veræ missæ simulatio, ab indiscreta quorundam devotione sæculo duodecimo inducta: sacerdos vestibus sacris indutus ad altare accedebat, ibique omnia sicut in vera missa faciebat, præter secretas, canonem aliasque partes consecrationem et communionem directe respicientes. Hæc missa dicta est nautica, quia in mari præcipue fuit usitata, quando vera missa, propter fluctuum commotiones, celebrari non poterat. S. Ludovicus habebat devotionem audiendi hujusmodi missam, cum e transmarinis partibus rediret in Galliam, referente Guillelmo de Nangis. De illa tanquam licita mentionem facit Durandus, l. 4, cap. 1. Sed, provida episcoporum cura, a multo tempore ubique hæc praxis est abrogata.

#### § V. — Missæ de tempore.

Annus ecclesiasticus, sicut annus civilis, in varia divisus est tempora, quibus propria respondent officia. Initium ejus est prima Adventus dominica: Adventus autem, ante Gregorium Magnum certe notus, est præparatio ad solemnitatem Nativitatis Domini. Festa Nativitatis, Epiphaniæ, Resurrectionis et Ascensionis Christi, Pentecostes et sancta Quadragesima ab Apostolis vel a proximis eorum successoribus fuerunt instituta, ut ex Constit. Apostolicis, Tertul., l. de jejuniis, Theoph. Alexandrino, epist. Paschalibus, S. Irenæo apud Euseb.,



Hist. l. 5, colligitur. Dies dominicæ per annum ab his festis et temporibus pendent, et feriæ, in singulis hebdomadâis, diebus dominicis vel festivis coordinantur. Exstant ergo officia pro toto anni cursu sic statuta, quæ propria de tempore dicuntur, et in antiquissimis liturgiæ libris fere sic partita reperiuntur, v. g., in Ordine Romano I, qui sæculo nono certo est anterior, in Sacramentariis SS. Greg. et Gelasii, et in Lectionario S. Hieronymi.

§ VI. — Missæ de sanctis.

Morem semper fuisse sacrificium missæ offerendi, non quidem pro sanctis, sed in illorum honorem, certissime constat ex vetustissimis Patrum testimoniis, nempe ex Epist. ecclesiæ Smyrnenis, attestantis se ossa S. Polycarpi collegisse, et sibi proponere natalem ejus martyrii diem cum hilaritate et gaudio celebrare; ex Tertul., l. de Corona mil., cap. 3, dicente: « Oblationes pro defunctis » et pro natalitiis annua die facimus; ex S. Cyp., Ep. 34, et Epist. 37, asserente *oblationes et sacrificia*, ob commemorationes martyrum, die annua eorum mortis celebrari; ex S. Aug., de Civit. Dei, l. 8, cap. 27, clamante: « Quis » audivit aliquando fidelium stantem sacerdotem ad altare, etiam super sanctum corpus martyris, ad Dei honorem cultumque constructum, dicere in precibus: « Offerro tibi sacrificium, Petre, vel Paule, vel Cypriane; » cum apud eorum memorias offeratur Deo, qui eos et homines et martyres fecit? »

Citati Patres de solis martyribus loquuntur, quia festivitates in memoriam aliorum sanctorum serius in Ecclesia receptæ sunt: prima fuit in honorem S. Martini Turonensis, anno 402 defuncti. Postea multi in catalogo sanctorum adscripti sunt, et, sicut martyres, specialia habuerunt officia, quæ vocantur Propria Sanctorum.

Communia etiam existunt officia pro colendis sanctis proprium non habentibus.

§ VII. — Missæ votivæ.

1° Sic appellantur Missæ quæ officio diei in quo di-

cuntur non conveniunt, et pro aliqua necessitate publica vel privata, aut in B. Mariæ virginis aliorumve sanctorum honorem, extra eorum festivitates, celebrantur. Micrologus refert, cap. 60, Alcuinum in octavo sæculo, rogatu S. Bonifacii archiepiscopi, composuisse missas votivas de sanctissima Trinitate, pro Dominica, de sapientia, de Spiritu sancto, de charitate, de Angelis, de cruce, et de B. Maria pro aliis hebdomadæ diebus, ut presbyteri Germaniæ officii ecclesiasticis nondum instructi, vel librorum copia nondum præditi, *aliquid haberent cum quo officium suum qualibet die possent explere.*

Tempore quo scriptus est Micrologus, in fine undecimi sæculi, missa de Cruce feria sexta, et de sancta Maria sabbato, communiter adhuc dicebatur, *non tam ex auctoritate quam ex devotione*, et missarum votivarum pro aliis diebus statutarum siebat memoria in missa de die.

2° Aliæ erant missæ votivæ, etiam Alcuino longe antiquiores, pro mortalitate, pro sterilitate, ad petendam pluviam, tempore belli, pro pace, etc., ut videtur in Sacramentariis S. Greg. et S. Gelasii. Ejus generis erat sacrificium quod, referente S. Aug., de Civ. Dei, l. 22, cap. 8, n. 6, presbyter in aliqua domo obtulit ut spirituum malignorum vexatio cessaret.

3° Devotio dicendi missas votivas, præsertim in honorem B. Virginis, ita excrevit, ut, versus undecimum sæculum, singulis diebus, etiam dominicis et festivis, præter missam solemnem, una diceretur missa de B. Virgine, et altera de *Requiem*.

4° At in Rubr., 1 part., tit. 4, n. 3, missæ votivæ prohibentur diebus dominicis et duplicibus; item intra octavas Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, in die Cinerum, hebdomada Majori, in vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, ex decreto Cong. Rit. diei 28 augusti 1627; similiter intra octavam Corporis Christi, ex alio decreto 21 junii 1670. Addenda est vigilia Epiphaniæ, ex decisione S. Cong. Rit. diei 10 decembris 1718.

Ab hac regula excipiendæ sunt, 1° missa votiva de B. M. Virgine, quæ, ex immemoriali consuetudine, in qui-



budam locis cantatur singulis diebus post Primam et etiam singulis sabbatis (S. Congreg. Rit. 2 decemb. 1684); 2<sup>o</sup> missa sponsalium, de qua infra, § IX.

5<sup>o</sup> Aliis diebus dici possunt missæ votivæ, pro arbitrio sacerdotum, cum commemoratione ejus de quo factum est officium: « Id vero passim non fiat, nisi rationabili de causa, et, quoad fieri potest, missa cum officio conveniat; » Rubr. 1 part., tit. 5, n. 3. Rationabilis autem non esset causa, ad missas votivas passim celebrandas, desiderium promptius se expediendi, vel alia similis et levis excusatio, inquit *Merati* et S. Ligorius: sufficit vero sola dantis elemosynam petitio, et probabiliter singularis erga tale mysterium, erga talem sanctum vel sanctam devotio.

*Notandum* quod missæ conventualis et capitularis cum officio semper concordare debeant, ex pluribus S. Congr. Rit. decretis. Idem dicendum est de missa parochiali.

6<sup>o</sup> Diebus vetitis missam votivam celebrare, est ad minus peccatum veniale, et sæpe mortale, vel ratione contemptus et scandali; vel etiam, juxta plures, quia res in se gravis est: communius tamen docetur peccatum non esse mortale, secluso scandalo et contemptu, quia notabilis non videtur ordinis inversio, nisi forte publica diceretur missa, vel missa de *Requiem*, sine causa excusante.

7<sup>o</sup> Cæterum omnes fatentur missas votivas majores, non privatas, diebus vetitis ob graves causas celebrari posse; exceptis tamen duplicibus primæ classis, dominicis privilegiatis primæ classis, feriis Cinerum et Majoris hebdomadæ, nec non vigiliis Pentecostes et Nativitatis Domini N. J.-C. (S. R. C. 27 mart. 1779, ad 20.)

Graves autem causæ reputantur, 1<sup>o</sup> necessitas vel utilitas publica, quæ scilicet totam respicit communitatem vel notabilem ejus partem, vel notabilem familiam ex cujus conservatione pendet bonum communitatis; in eo casu habendæ sunt, v. g., processio, quæ non nunquam fit nisi in re gravi; missa pro salute principis, pro obtinenda victoria, ad gratias agendas pro beneficio obtento; 2<sup>o</sup> si clericus cum episcopo conveniat, ex Congr. Rit. 19 mai 1607.

« Receptio vero ad habitum vel ad professionem religiosam sub re gravi numerari non potest, ut ex consuetudine cantari possit missa votiva sollemnis, etiam de Spiritu sancto, in dominicis vel duplicibus; et hic abusus omnino abrogandus; » Decret. Congreg. Rit. diei 24 juli 1683.

8<sup>o</sup> Quoad modum eas dicendi, sciendum est 1<sup>o</sup> in missa majori, quæ celebratur pro re gravi vel publica Ecclesiæ causa, unicam dicendam esse orationem sine commemoratione feriæ, festi simplicis aut semiduplicis, vel octavæ communis, quia talis missa reputatur primæ classis et excludit commemorationes per festum primæ classis exclusas. Non vero omittenda esset commemoratio dominicæ, feriæ majoris, octavæ privilegiatæ, duplicis aut venerationis sacramenti expositi. 2<sup>o</sup> In missis votivis quæ privatim, vel etiam solemniter, sed ex privata causa, celebrantur, tres saltem necessariæ sunt orationes: secunda debet esse de feriæ vel festo cujus sit officium, et tertia quæ secunda fuisset in missa diei. Si insuper aliæ in missa diei faciendæ fuissent commemorationes, omnes adduntur (*Merati*, 1. part., p. 73). 3<sup>o</sup> In missa majori, pro re gravi, semper dicitur *Gloria in excelsis* et *Credo*. Utrumque tamen omittitur in missa cum paramentis violaceis, nisi forsitan dicendum sit *Credo* propter occurrentem dominicam. In missis vero privatis nunquam dicitur *Credo*; nunquam etiam *Gloria in excelsis*, nisi in missa de Angelis et de Beata in Sabbato. 4<sup>o</sup> Si missæ votivæ propriam non habeant præfationem, dicenda est præfatio de tempore vel de octava currente, vel tandem communis, non vero de festo occurrente. Dicitur *Communicantes* de octava occurrente, si proprium habet: secus commune, etsi dicatur præfatio propria.

9<sup>o</sup> Dici non debent pro missis votivis missæ propriæ festis Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Assumptionis B. Mariæ aliorumve similium, proprios Introitus vel Collectas habentium; quia verba, extra proprios dierum festorum dies vel octavas, absurdum exhiberent sensum. Ita decretum S. Congr. Rit. a Paulo V approba-



tum. Missæ vero aliorum festorum in quibus veritas et ritus verborum non violatur, aut verba propria, v. g., *hodie, natalitia, solemnitas*, facile vertuntur in voces, *commemoratio, memoria*, dici possunt ut missæ votivæ, quamvis melius sit uti missis votivis in fine Missalis expressis, ne ritus Ecclesiæ ad cuiuslibet arbitrium mutari videantur. Si petatur missa votiva alicujus festi B. Mariæ aut sanctorum, intra octavam ejusdem festi, die quo fit de octava, ipsa missa festi ritu pro octava notato dicitur. Si autem hac die fiat officium semiduplicis occurrentis, pro missa votiva dicitur pariter missa de octava, sed absque *Gloria et Credo*, quia jam officio diei non concordat, et fit pure votiva. Ita *Merati*, part. 1, tit. 4, § 4.

10<sup>o</sup> Missæ votivæ dici possunt de quolibet sancto certe canonizato, id est, totius Ecclesiæ cultui proposito, sive per insertionem nominis ejus in Martyrologio Romano, sive per festum publicum, sive per actum summi Pontificis authenticum: de beato vero missæ dici nequeunt extra locum, ecclesias, personas et dies a Pontifice determinata.

§ VIII. — Missæ defunctorum.

1<sup>o</sup> Sacrificium missæ pro defunctis oblatum esse Apostolica traditione constat; testimonia enim Tertulliani et S. Aug. jam retulimus: idem habent S. Cyprianus, Epist. 66, prohibens ne oblatio fieret pro laico qui presbyterum ausus fuerat tutorem constituere; S. Epiphanius, *Hæresi* 75; S. Chrysost., *Homil.* 69 ad populum Antiochenum; *Constitutiones Apost.*, etc.

2<sup>o</sup> In Sacramentariis S. Greg. et S. Gelasii, in veteri liturgia Gallicana, in Mozarabica, etc., speciales erant missæ pro defunctis, pro sacerdote, pro abbate, pro nuper baptizato, pro laicis, etc.

3<sup>o</sup> Mos erat missas hujusmodi die depositionis, die tertia, septima, trigesima et præsertim anniversaria celebrandi. S. Greg., *Dialog.* l. 4, cap. 55, abbati Pretioso præscripsit ut curaret sacrificium offerri pro monacho Justo defuncto per triginta dies continuos: hinc natus est ritus

universalis et adhuc in multis locis perdurans, triginta celebrandi missas pro defunctis. Non necesse est ut omnes sint *de Requiem*, nec ut ab eodem sacerdote celebrentur, nec communiter exigitur ut per triginta continuos dies sine intervallo dicantur.

4<sup>o</sup> Missæ defunctorum in suo genere sunt votivæ et ferme eisdem subjiuntur regulis: privatæ vel etiam cantatæ dici nequeunt extra diem obitus, diem 3<sup>um</sup>, 7<sup>um</sup>, 30<sup>um</sup> et anniversarium, in festis aut feriis quibus aliæ missæ votivæ prohibentur: si pro mortuo celebrandum sit, ad intentionem ejus offertur missa de die.

Missæ major omnibus dominicis et festis de præcepto, præsentem corpore, cantari potest, exceptis duplicibus primæ classis, videlicet Nativitate Christi, Epiphania, prima die Paschatis et Pentecostes, festo corporis Christi, Ascensione Domini, Assumptione B. M. Virginis, festis S. Joannis Baptistæ, SS. Apostolorum Petri et Pauli, omnium sanctorum, titularis ecclesiæ, S. Patroni, et festo alterius sancti cum maxima solemnitate et concursu populi celebrato, ac ultimo Majoris hebdomadæ triduo (*S. Rit. Cong.* 26 *januar.* 1752 et 7 *sept.* 1816.). Si in his diebus faciendæ sit sepultura, *Officium ac preces mandatur recitari privatim*; *Ferraris*, v<sup>o</sup> *Miss.* art. 14, n. 88; idem habet *Merati*, ex decreto S. Congr. Rit. diei 5 *ju-* *lii* 1698.

Die 23 *maii* 1835, S. Rit. Cong. pronuntiavit in festis Epiphaniæ Domini, SS. Corporis Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, SS. Patronorum diocesis et parochiæ, cantari non posse, etiam in Galliis, missam *de Requiem*, corpore præsentem, sed servandam esse rubricam sicuti ante reductionem festorum, et extendendam ad dominicam ad quam transfertur præfatorum festorum solemnitas. *Rom-sée*, t. 1, p. 44.

5<sup>o</sup> Contendit *Merati*, part. 1, tit. 5, pariter excipiendos esse dies sequentes, nempe primam Dominicam Adventus, feriam quartam Cinerum, primam dominicam Quadragesimæ, dominicam Palmarum cum tota Majori hebdomada, et duobus diebus festa Resurrectionis et Pentecos-



tes immediate sequentibus. Sed S. Congr. Rit. decreto diei 2 sept. 1741, apud *Ferraris*, ibid. n. 87, relato, statuit unicam missam solemnem *de Requiem* celebrari posse, corpore præsentem, feria secunda, a fortiori et tertia Paschæ et Pentecostes. Unde concludit *Ferraris* sola festa solemniora superius recensita excipienda esse.

6° Missæ private *de Requiem* dominicis et festis duplicibus dici non possunt, etiam corpore præsentem. Sic S. Congr. Rit. resolvit die 10 jun. 1693.

Nec missa parochialis, sive cantata seu major, sive prima seu minor, pro sepultura, corpore præsentem, celebrari potest. Id apud nos prohibetur, et ex decreto S. Congr. Rit. 5 jul. 1698, et ex aliis apud *Merati*, citatis in indice, n. 528.

7° Nulla missa *de Requiem* celebrari potest ad altare ubi expositum est SS. Sacramentum, etiam in pyxide; sed ad aliud altare dici potest, dummodo oratio coram Sacramento non sit pro publica causa; S. Congr. Rit. 7 maii 1746. Congruentius est tamen ab hujusmodi missarum celebratione abstinere, etiamsi ex præscripto testatorum celebrandæ essent; eadem Congr. 27 aprilis 1697. In diebus dictis *Quadragesima Horarum*, missæ defunctorum prohibentur per totam ecclesiam, quia oratio fit pro causa publica.

8° Missæ solemnes defunctorum de die tertio, septimo, trigesimo et anniversario obitus, quibus addendæ sunt missæ cantatæ fundatæ, diebus determinatis affixæ, celebrari non possunt in duplicibus primæ vel secundæ classis, nec diebus dominicis aut festis de præcepto; nec intra octavas Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschæ, Pentecostes et Corporis Christi, ut ex variis S. Congr. Rit. decretis constat; nec vigiliis Nativitatis Domini, Epiphaniæ et Pentecostes.

9° Si ergo dies tertia, septima, trigesima vel anniversaria in unam ex his diebus prohibitis incideret, officium defunctorum, ex resp. S. Congr. Rit. 23 maii 1603, transferretur in diem sequentem non impeditam, vel anticiparetur cum eadem solemnitate, id est, unica oratione quæ

dicta fuisset in ipsomet die et prosa *Dies iræ*. Dies isti numerantur non a die obitus, sed a die sepulturæ. Nec liceret, ex resp. S. Rit. Congr. diei 22 decemb. 1753 missam de die applicare, ubi agitur de fundationibus.

10° Ubi vero agitur de missis quotidianis defunctorum quæ per annum petuntur, si Rubrica missas votivas permittat, dicendæ sunt *de Requiem*, secus dicitur missa de die ad intentionem defuncti. S. Congr. Rit. 2 septembris 1741.

11° In missis quotidianis defunctorum, simpliciter cantatis aut non cantatis, tres dicuntur orationes, ut assignantur in Missali: « In missis autem defunctorum nulla fit » commemoratio pro vivis; » Rubr. Missalis Rom. 1 part., tit. 7, n. 6: nec dicuntur *Communicantes* aut præfatio propria tempori, sed communis, vel pro defunctis si existat. In missis vero de semiduplici, simplici, feria, etc., specialis dici potest oratio pro defunctis, vel pro uno defuncto: sed, ex decis. S. Congr. Rit. 2 decemb. 1684, in penultimo loco ponenda est, et nulla ex orationibus pro tempore assignatis omitti debet.

12° In missis solemnibus aut privatis diebus Commemorationis omnium fidelium defunctorum, obitus, tertio, septimo, trigesimo vel anniversario celebratis, et in alia qualibet missa solemnibus defunctorum, unica dicitur oratio, prout in Missali est determinata.

13° Quoties autem unica dicitur oratio, prosa *Dies iræ* non omittitur: in aliis vero missis pro defunctis dicitur ad arbitrium sacerdotis, ut fert rubrica.

14° Quædam omittenda sunt in missis defunctorum, sive privatis, sive solemnibus: sciri ac observari debent omnes hac de re dispositiones rubricæ.

Quæ inter omittenda non notantur, accurate servanda sunt: v. g., in initio evangelii celebrans librum et seipsum signat. In fine, loco *Benedicamus Domino*, semper dicitur *Requiescant in pace*, et non *Requiescat*, etiamsi pro uno celebraretur.



## § IX. — Missæ sponsalium.

1° S. Congr. Rit. per decretum 20 decembris 1783, a Pio VI approbatum, præcedens reformans decretum 3 maii 1761, sancivit missam propriam pro sponso et sponsa celebrari posse etiam in festo duplici, sive minori, sive majori, per annum, non tamen in festis primæ et secundæ classis, nec in dominicis et festis de præcepto. Alio decreto, diei 28 febr. 1818, a Pio VII 3 martii sequentis approbato, declaravit missam pro sponso et sponsa, juxta præfatum decretum 1783 celebratam « esse votivam privatam, proindeque semper celebrandam sine hymno Angelico et Symbolo, cum tribus orationibus, prima videlicet ejusdem missæ votivæ propria, ut habetur in fine Missalis, » secunda et tertia diei currentis... *Benedicamus Domino* » in fine et ult. evang. S. Joan. » *Romsée*.

2° Eadem S. Cong. per aliud decretum 20 april. 1822, quædam suborta resolvens dubia, respondit missam votivam pro sponso et sponsa dici non posse diebus festa duplicia excludentibus, v. g., intra octavam Epiphaniæ et alias octavas similiter privilegiatas, ac consequenter si his diebus benedicendæ sint nuptiæ dicendam esse missam de die cum commemoratione nuptiarum.

In missis votivis de sponsalibus dicitur præfatio de tempore vel de octava occurrente, ubi propria de sponsalibus non existit.

## § X. — Missæ coram exposito SS. Sacramento.

1° « Missam in altari majori, ubi est expositum publice » SS. Sacramentum, non licet celebrare, præsertim si in » ecclesia adsint alia altaria in quibus celebrari possit; » Decret. Congr. Rit. 9 aug. 1670. Excipitur in Const. Clementis XI, 20 januarii 1705, missa pro exponendo et reponendo SS. Sacramento sub precibus Quadraginta Horarum. Si cantanda sit alia missa, durante expositione, in alio altari cantari debet. *A fortiori* missæ privatæ in altari expositionis dici nequeunt. Id strictè servatur Romæ.

2° In missis de die, non tamen de festo primæ aut se-

eundæ classis, coram sanctissimo Sacramento exposito celebratis, fieri potest commemoratio SS. Sacramenti per orationem quæ post orationes ad missam diei pertinentes ponitur, si missæ sint privatæ et expositio fiat ob causam publicam. In festis autem cujusvis gradus semper fieri debet dicta commemoratio ad missas cantatas eodem ordine, et si duæ tantum sint orationes, sub unica conclusione. *Romsée*, t. 1, pag. 18 et 19.

Ex Instructione Clementis XII, pro urbe Roma, diei 1<sup>o</sup> septemb. 1730, dicta commemoratio est de præcepto in urbe etiam ad missas privatas, non exceptis festis primæ et secundæ classis. Extra urbem remanet facultativa in missis privatis, quæ non sunt primæ vel secundæ classis.

Advertit *Gardellini*, in Instruct. Clement. XII (t. 6., p. 106), prohibitionem commemorationis in festis primæ et secundæ classis non intelligendam esse de diebus commemorationes non excludentibus, ut prima Domin. Adv., prima Domin. Quadragesimæ, die Cinerum, etc.

Missæ votivæ, tempore expositionis, nullo gaudent privilegio. Romæ dicendæ sunt de SS. Sacramento, si Rubricæ permittant; extra Romam dici possunt. In utroque casu, sine *Gloria* et *Credo*, nisi, ob gravem causam, celebrantur solemnes.

3° Missa pro expositione venerandi Sacramenti debet esse votiva de SS. Sacramento, quæ habetur in fine Missalis, non vero missa de festo Corporis Christi, nisi infra ejus octavam; aut si rubrica missam votivam non permittat, dicitur missa diei cum commemoratione SS. Sacramenti.

4° Missæ de SS. Sacramento fundatæ, diebus missas votivas non excludentibus dicuntur votivæ de SS. Sacramento: aliis diebus celebratur missa de die cum commemoratione SS. Sacramenti.

5° Apprime sciendum est quid omittendum et quid addendum sit in celebranda missa coram venerabili Sacramento.